



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Qvaestio III. Quæ sit poena præbentis poculum amatorium?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

QV AESTIO III.

Quæ sit pœna præbentis poculum amatorum?

VT huius quæstionis resolutio fiat, prænotandum: quod quando poculum amatorum præbetur; aut sequitur mors, aut non sequitur. Præterea aut tale poculum sapit hæresin, aut non. Tandem aut componitur ex naturalibus medijs, sine vlla arte diaboli: aut magica arte efficitur tale poculum.

Prima conclus. *Quando poculum amatorum conficitur tali modo, qui sapit hæresin punitur pœna hæresis.*

GRILLAND. in tractat. de Sortilegijs q. II. Menochius casu 388. num 4. Petrus Gregorius Tholosanus in 3. parte Syntagmatis iuris vniuersi lib. 34. cap. 12. num. 9. Ratio clara est: quia pœna sequitur naturam delicti, & eidem commensuratur.

Secunda Conclusio. *Dans poculum amatorium ad malum finem, si ex eo mors sequatur, quomodo cumq[ue] sit compositum tale poculum, punitur pœna mortis.*

SIc scribit Petrus Crinitus in lib. de Poëtis latinis cap. 19. quod Lucretius assumpto po-

culo

culo amatorio ita furore percitus sit, ut propria manu mortem sibi intulerit. Et Plinius lib. 25. natural. histor. cap. 3. narrat de Lucullo, quod hausto poculo amatorio, vitam finierit. Dicta conclusio constat ff. de pœnis. L. Si quis aliquid ex metallo. §. Qui abortionis. vbi expressè decernitur, quod si mulier ex poculo abortionis, vel amatorio, aut vir pereat, ultimo suppicio dans afficiatur. Ibidem Bartol. Grilland. de Sortileg. q. 12. Damhauderius in practica Crimin. cap. 61. num. 88. Menoch. lib. 2. de arbitrio Iudic. qq. cas. 358.

Tertia Conclusio. *Si quis arte malefica & magica animum hominis ad amorem illicitum deflectat, pena ultimi suppli-
ty punitur, etiam si mors non sequatur, si-
mus in d. L. Eorum.*

PROBAT Grilland. q. II. num. 7. Quia dicta L. & equiparat quantum ad pœnas, illos maleficos, qui flectunt pudicos animos ad libidinem, & illos qui contra salutem hominū molliuntur, & statuit eos seuerissimis legibus vindicandos. Eandem Conclusionem docent Menoch. lib. d. casu 388. num. 5. & Petrus Gregor. loco cit. nu. II. Ratio est etiam in promptu. Quia arte magica & diabolica vti, tam secundum legē diuinam, quam ciuilem, capitale est vti in frā latius patebit in L. Nemo Aruspicem.

Mm

Quar-

Quarta Conclusio. *Præbens poculum amatorium absq[ue] arte magica, si mors non sequatur, punitur extraordinariè adiudicium iudicis, pro varietate circumstantiarum occurrentium.*

MENOCHE in d. casu 358. & Petrus Gregor. loco citat. & alij alibi. Ratio est: quia tentat pudicitiam, quæ res est turpissima, & pessimi exempli: olim tamen, ut clarum est ex text. & Gloss. in d. L. Si quis aliquid ex metallo. §. Qui abortionis. de lege ciuili humiliores in metallum damnabantur, honestiores in insulam, amissa etiam parte bonorum, relegabantur. Et quia hisce temporibus pœnæ relegationis & effodiendi metallum in v. su non sunt, iudicis arbitrio talis puniendum est.

QV AESTIO IIII.

An malefici possint inducere pluias, tempestates, grandines, & similia meteorologica, quibus fructibus, aut seminibus noceant, ut d. L. significat.

JOANNES VVierus lib. 6. de præstigijs Demonum, cap. 27. & alibi, dicit, Christianum Imperatorem in his LL. locutum, non quasi ipse crediderit, vel alios credere voluerit, eiusmodi miracula siue calamitates ab homini-